

in hoc dubio et periculo superest, nisi ut oremus importune? *Et ne nos inducas in tentationem?* Sic filio suadet Tobias: *Pete ab eo (Deo) ut vias tuas dirigat.* Quia enim solus Deus novit, quo loco, statu, conditione, simus bene victuri et perseveraturi: ideo rogandus ut arceat nos a remitis, in quibus novit nos damnandos.

Præterea compellit multiplex peccandi periculum et tot laqueorum evitandorum difficultas. Militia enim est vita hominis super terram, et continua collectatio adversus nequitas spirituales, adversus mundum, et propriam carnem. Diabolus nunquam fere non tentat, et tam gra- ter et multipliciter, ut propriis viribus diutius vult resistere nequeamus. Unde David, *Psalm.* XIII. ait: *Quis stabit mecum adversus operantes nequitiam? Nisi quia Dominus adiuvit me, paulo post, id est, paulo post, habitasset in inferno anima mea:* et iterum, *Psalm.* XXI. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens: quos nisi cohiberet, et impediret Deus, tentationibus nos opprimerent. Quid superest igitur, nisi ut clamemus cum Davide: Salva me ex ore leonis? et cum Tobia, quando piscis eum devorare conabatur: Domine, invadit me? Mundus etiam plenus est scandalis et museipulis, ut in eo vere in medio laqueorum, sicut dixit Ecclesiasticus, c. IX. ingrediamur, et mors undique ascendit per fenestras sensuum nostrorum. Inter tot aqueos, quid superest, nisi ut perpetuo vigilemus, super custodiam nostram stemus, et ad quemvis passum quodammodo oremus, et clamemus cum Davide: *Averte oculos meos ne videant vanitatem: pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis? Quando Noe ingressus fuit arcam: Ingressus eum Dominus de foris, Gen. VII. seu ut Hebræa habent: Clavisit Dominus pro eo, videlicet ostium contra impetum undarum, bitumine id oblinendo: quis enim alius id facere potuisset? Similiter dum in corpore, velut in navi, sumus inter mundi hujus fluctus, quomodo claudere sensus omnes possumus contra tot illecebras tam blandientes, nisi Dominus id faceret? Caro etiam nostra, veluti vortex quidam perpetuo nos gyrat, et in abyssum demergere conatur: ipsa, velut equus effrænus, currens post desideria sua abripit nos per multa præcipitia, nec patitur se teneri, quia frænum illud aureum justitiæ originalis amisimus. Unde auctor operis imperf. in *Matth. homil. XXXVII.* ait: « Sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur, quo tempestas voluerit, sic et homo divinæ gratiæ auxilio perdit per peccatum, agit quod non vult, sed quod diabolus vult: et Ambrosius, in id *Psalm.* XLIII. « Hæc omnia venerunt super nos, nec oblitus sumus te, ait: Quis est tam fortis ut nequa-**

quam in tentatione moveatur, nisi Dominus adjutor ei assistat? » Quid faciat verus talis, qui cum navicula sua a vortice abstractus gyratur, aliquamdiu paulo post mergendus: qui currenti per præcipitia equo sine fræno insidet, nisi ut clamores edat, Dei hominumque auxilium imploret? In tam multiplici igitur et difficili prælio, numquid non habemus quod oremus et dicamus: *Et ne nos inducas in tentationem?* Quamdiu Moyses elevatis orabat manibus, tandem vincebat Josue; quando manus remittebat, tunc vincebat Amalec, *Exod. XVII.* Ita res habet in conflictu spirituali Christianorum. Hostis enim, ut ait in eum locum *S. Chrysostomus*, dum oras, premitur; dum cessas, erigitur. Oratio jugis infirmitas hostis: ille contra se tela ministrat, qui hostem præcum instruit non fatigat. »

VII. Compellunt etiam pericula, corporalia quam plurima, infortunia, bella, insidiæ inimicorum, pestis, morbi, fames, lapsus ex alto, navigandi periculum, bestiarum incursum, demonum infestatio, mors repentina, etc. Quæ omnia prævidere, cavere, et evadere nequaquam possumus, nisi Deus nos custodiat per angelos custodes, etc. Quis scit, si hodiernum diem vivas? Si mane consurgas? Quot in hoc decepti sunt!

Compellit peccatores status periculosissimus et damnationi proximus. Quamdiu enim in peccato lethifero persistimus, semper rei sumus gehennæ, ac nisi Deus impediret, angeli boni et mali omnesque creaturæ in nos insurgerent, et perditum nos irent. In hujus enim rei significationem, servi illi patrifamilias parati erant statim eradicare zizania de medio justorum et comburere: *Visimus et colligimus ea?* *Matth.* XIII. Ipse gladius divinæ vindictæ super caput tuum in tenuissimo filo fragillissimæ vitæ tuæ pendet, quod statim abrumpere posset Deus. Quid superest igitur peccatori, nisi ut instanter orat, ne filium illud rumpatur, dicatque cum Davide: *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te:* et cum servo illo dicente: *Patientiam habebis in me, et omnia reddam tibi.* Quid enim faceret is qui ab inimico suo pendulus in fune teneretur, super puteo profundo pleno serpentibus et bufonibus? Nonne ardentissime orare, et veniam præcari deberet, ne is memor injuriæ dimitteret funem? Quid supererat rebeli et fugitivo Jonæ in ventre ceti constituto, nisi ut oraret et clamaret de ventre inferi ad Dominum, ne a pisce in profundum abyssi evomeretur? Et quo alio loco putamus esse peccatores, nisi in ventre, id est, potestate dæmonis? Et hic libentissime quidem nos in abyssum inferni dejiceret, modo Deus id non impediret. Quanta igitur orandi necessitas in ambit peccatoribus, et clamandi

cum Jeremia: *Misericordiæ Domini; quia non sumus consumpti!* *Thren. V.* denique orandi: *Libera nos a malo.*

## CONCIO VI.

DIABOLUS IN ARTICULO MORTIS DE TRIBUS THEOLOGICIS VIRTUTIBUS MAXIME TENTANS REPELLITUR.

I. Tentat circa fidem porrigens serpentem pro pisce. Remedium. — II. Tentat circa spem porrigens scorpionem pro ovo. Remedium. III. Tentat circa charitatem porrigens lapidem pro pane. Remedium.

## THEMA.

*Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Luc. XI.*

Audimus in hodierno evangelio (quod alibi exposuimus) cælestem Patrem porrigere petentibus, panem charitatis, ovum spei piscem, fidei: nec dare pro pane lapidem, nec pro ovo scorpionem, nec pro pisce serpentem. Sed est alius quispiam, humani generis hostis, qui pro pane charitatis porrigit lapidem durissimum odii Dei; pro ovo spei, scorpionem desperationis, extrema cauda pungentem et necantem; pro pisce fidei, serpentem lubricum hæreseos et infidelitatis. Etenim hæc omnia, si animum advertamus, porrexisse ipsi Christo in deserto ad finem jejunii ejus deprehenditur. Lapidem enim in primis pro pane illi obtulit; ecce odium pro dilectione. Deinde, petiit ab illo, ut se præcipitaret deorsum; ecce desperationem pro spe. Denique, adorari ab eo petiit; ecce idololatriam pro fide. Quæ eadem porrigit hominibus maxime in articulo mortis, ubi de his tribus virtutibus theologis, in quibus novit salutem nostram esse positam, vehementius tentat hominem. Ut enim Pharaos filios Israel tunc maxime exagitavit, quando ex Ægypto discedere in Palestinam volebant; ita plane calcaneo nostro, id est, supremo vitæ tempore, maxime insidiatur diabolus. Cæterum cum difficile sit ingravescente morbo illos virtutum actus perfecte elicere, si prius illis non assueverimus, in eis exercere nos debemus passim currente vita. Vix enim sero metitur, quod mane non est seminatum. Vix feliciter pugnat, qui arma non novit tractare ante conflictum. Audiamus ergo tentationes, et opponamus remedia.

I. Tentat circa fidem, et pro pisce fidei porrigit serpentem infidelitatis aut hæresis, et imprimis doctis, qui circa hæc curiosius occupabantur aliquando, necnon aliis, qui aliquibus circa fidem scrupulis agitabantur. Novit enim curiosos et scrupulosos facile sibi aures præbere circa res fidei, et sicut auceps, philomela in-

spectante, (quia novit eam curiosam) scrobem fodit et caveam ei præparat, ut ipsa alliciat ad spectandum id quod actum est, et in caveam incidat: sic facit etiam ipse. Exemplum scribit Petrus Barocius episcopus Patavinus, I. II. de ratione bene moriendi, in hæc verba: « Fuere, quemadmodum audivi, duo quondam viri eruditissimi et omnium qui ex eodem gymnasio essent, in disputando facile principes ac iidem bene moratim maximeque religiosi. E quibus unus cum excessisset e vivis, ei, qui superstes erat, in sua forte bibliotheca Scripturæ sacræ studiis incumbenti totus ardens apparuit, territoque ac quænam ei tam grandis pœnæ causa foret, interroganti, gemens dolensque respondit: Cum essem migraturus e vita, venit ad me hostis antiquus, et quoniam apprimè eruditum venerat, sciscitari cœpit, de fide quid crederem? Ego, quæ in apostolorum symbolo sunt, credere me respondi. Ille exponi sibi quædam, quæ minus lucida viderentur rogavit. Exposui ut in symbolo Athanasii legeram. Neque enim lucidius, aut verius exponi posse putabam. Tum ille: Non est, ait, ut putas; sed quæ ad Patrem pertinent partim aperta et vera, partim obscura et falsa sunt. Nam ipse quidem æternus est, non tamen ut semper Deus, sic semper et Pater, sed prius Deus, postea Pater. Ad hæc cum ego exclamarem, hæreticum esse documentum, doctrinamque diabolicam: Non est, inquit ille, clamoribus disserendum, sed rationibus, si veritatis indagandæ studio ducimur. Ego quid pro mea sententia sit, edere facile possum; tu quid pro tua sit explicare si poteris, ab errore me grandi liberaveris. Ipse miser, qui ingenio, et doctrinæ meæ magis, quam æquum erat, confiderem, cum eo tamquam cum uno quolibet hominum cæterorum disputare cœpi, tandemque rationibus, quas mihi ex adverso plurimas ingerebat, et quod magis admiratus sum Scripturæ sacræ testimoniis in errorem me paulatim tam nefarium misit, ut jam neque Filium, neque Spiritum sanctum Deum putarem. Interim rapuit animam mors, et qualem reperit, judici obtulit. Ab eo discedere in hunc ignem sum jussus: quem, etsi maximus est, tolerabilem tamen utcumque putarem; si post mille annorum milia finiendus foret. Sed æternus est, itemque tantus, quantum nulla apud nos vidit ætas: ut me in singulas ferme horas scientiæ meæ pœniteat, quæ in tam immane præcipitium me dejecit; et hæc dicens evanuit. At ille tum rei novitate, tum vero amici damno permotus, ut in se primum reversus est, cum iis, qui sibi amicissimierant, quod viderat, contulit; petiitque quidnam adversus hujusemodi rem factu optimum ducerent. Decretum in commune est, ut ad eam

se quisque fidem referret, quam catholica servat Ecclesia. Paulo post in ægrotationem, ex qua mortuus est, incidit, et ecce ad eum itidem antiquus hostis, prioris disputationis successu animosior, venit, quærit de fide, quid credat: respondet credere se, quæ mater Ecclesia credit. Rursus antiquus hostis, quidnam credat mater Ecclesia, seiscitatur. Et ille: Quod ego, inquit; atque in hunc modum audientibus his, qui adstabant, veluti ab aliquo interrogatus: Credo, quæ credit Ecclesia, et Ecclesia credit, quæ ego credo, tantisper dicere non cessavit, dum animam redderet. Ita factum est, ut delusa inimici versutia, ipse in cælum migraret. Et post paucos dies amicis, quos, quidnam in hujuscemodire factu optimum videretur consulerat, longe alio habitu corporis apparens, gratias egit, quod eorum consilio ad cæleste regnum ascenderat. Quæ nos, uti sunt gesta, describere superfluum arbitrari non sumus, ut horum vel infortunio, vel successu discere unus quisque posset, de fide cum diabolo disputari non oportere; sed satis esse, si ad eam unusquisque se referat fidem, quam catholica servat Ecclesia. » Hæc Barocius.

Remedium igitur est: primo, non disputare cum hoste maligno, sed referre ad se fidem Ecclesie catholice. Sufficit tibi nosse, quod in ea sis Ecclesia, ab eaque edoctus, quæ una, sancta, catholica, et apostolica est. Ad illam mitte diabolum, pro te utique responsuram; neque enim teneris tu rationem reddere hujus vel illius articuli, sed tantum cur hanc vel illam magistram religionem secutus sis. Pythagoræis in omni scientiarum genere magistri sui auctoritas sufficiebat, cur non sufficiat nobis auctoritas divina? Ipsi satis erat dicere: *Ipse dixit*, cur non sufficiat nobis, si dicatur: Deus revelavit? Ecclesia fidei magistra expertissima, credendum hoc proposuit? Scimus enim Ecclesiam infallibiliter a Spiritu sancto dirigi, et propterea fieri certissimam fidei regulam, qua se etiam firmabat. S. Hieronymus adhuc juvenis, cum ab Arianis interrogaretur, qui sentiret de divinis hypostasibus, essentque tres an unica, respondit: *Credere se id omne, quod sancta credit Ecclesia Romana, extra quam sciret salutem nemini repositam*, Marianus, in vita S. Hieronymi.

Deinde, si tentatio versetur circa Deum ipsum incomprehensibilem, velut quomodo sit unus et trinus, quomodo sit immensus et ubique, quomodo æternus, infinitus, etc. responde tu non esse mirum si Deus sit major corde nostro, qualis enim esset Deus, si a tam angusto vase capi ejus natura posset. Rursus plurima esse non solum spiritualia sed et corporalia, quorum naturam indagare non possumus. Quis enim novit ex qua materia cæli et stellæ sint? Quam

pauci credunt stellas firmamenti singulas majores esse orbem terrarum, quod tamen mathematici facile demonstrant esse verissimum? Ad hæc nonne quando oramus, omni tempore et omni loco putamus nos audiri et videri a Deo, cur ergo dubitabimus eum esse immensum et ubivis præsentem?

Rursus si tenteris circa opera Dei, intellectu difficilia, uti circa præsentiam Christi in eucharistia, responde mirum non esse, si Deus in occulto operetur, nec patiat homines introspicere in opera sua; talia enim opera illum decent quæ intellectum creatum superent. Qua ratione credis, Deum uno verbo totum mundum fecisse, eumque mirabiliter conservare et gubernare: item corpora defunctorum incinerata et in alias naturas conversa a Deo redintegrandam et vivificandam: eadem ratione credito cætera. Denique, scito et dicito Deum, quo modo tentavit nostram voluntatem præscribendo nobis mandata, sic tentare etiam merito nostrum intellectum per res fidei superantes illum: ut probet num sicut voluntatem, sic etiam intellectum nostrum subjicere ei velimus, et ut apostolus loquitur, II. Cor. X. *Captivare in obsequium fidei*, ut ita etiam meritum consequamur. Unde S. Greg. hom. XXVI. in evangelia: « Sciendum nobis est, inquit, quod divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. »

II. Tentat circa spem, et porrigit nobis pro ovo spei scorpionem desperationis. Quo modo imprimis tentat graves peccatores proponendo illis scelerum suorum multitudinem et enormitatem. Sic fecit Anglo illi apud Bedam, l. V. hist. Angl. cum proposuit morituro codicem ingentis magnitudinis et ponderis pene importabilis, ex quo legeret omnia sua scelera. Hoc enim perlecto exclamavit ad regem Coenredum, qui eum ad penitentiam hortabatur: *Quid vis modo? Quid huc venisti? Non enim mihi aliquid utilitatis aut salutis potes ultra conferre*. Atque ita desperatus obiit. Sic etiam monacho cuidam male viventi apud eundem Bedam, lib. V. c. XV. hist. qui dicebat se videre infernum apertum et Satanam in profundo ejus, juxtaque eum Caipham cum cæteris, qui occiderunt Dominum, inque eorum vicinia locum sibi paratum. Qui cum a fratribus moneretur ad penitentiam agendam, siquidem adhuc tempus esset et locus, respondit: *Non est mihi modo tempus vitam mutandi, cum ipse viderim judicium meum esse completum*. Talia dicens obiit sine penitentia et viatico. Ubi dubium non est, persuasum fuisse hominem a diabolo, quod tempus penitentiae non superesset.

Quandoque etiam piissimos viros hac ratione tentat, quasi nihil cælesti præmio dignum egerint, adeoque cælo indigni sint. Quo modo scribit S. Antoninus, l. p. summæ, tit. V. c. II. tentatum in gravi infirmitate fuisse S. Bernardum, quasi Deo negligenter servierit et nil unquam boni fecerit, ut tantum præmium consequi mereretur. Sed vir sanctus cælesti lumine illustratus respondit: « Fateor me nil fecisse tanto præmio dignum, sed Christus duplici titulo regnum cælorum obtinet, hæreditate nimirum tamquam Dei Filius et merito passionis. Ipse priori titulo contentus est, alterum mihi largitus est, ut per merita passionis ejus consequar beatitudinem. » Ita tentationem exclusit. Simile est quod refert Rudolphus, de vita Christi, p. II. c. L. de quodam monacho, cujus socius cum sibi revelatum (utique diabolica tantum illusio fuit) diceret ipsum esse de numero damnatorum, respondit: « Benedictus Deus, nec tamen sic desperabo, sed penitentiam quam per ingressum religionis assumpsi, de cætero duplicabo et triplicabo, donec gratiam et misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inveniam. » Post multos dies iterum, sed divinitus socio ejus revelatum est, ipsum esse de numero salvandorum.

Tales itaque jacent anchoram spei, et primo, proponant sibi immensam Dei misericordiam, quæ longe superat molem omnium peccatorum, et si tentatio cum Cain dicat: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*, respondeant illi, quod ait S. Bernardus, serm. XI. super Cant. *Mentiris, Cain, major enim est Dei pietas, quam quævis iniquitas*. Recordentur etiam cælestem patremfamilias non exiisse tantum hora prima, tertia et sexta ad conducendos operarios, sed etiam nona et undecima. Ad hæc conduxisse operarios ex pacto, et promississe: *Quacumque hora inguerit peccator, se omnes ejus iniquitates non recordaturum amplius*.

Secundo, proponant sibi merita Christi mediatoris nostri: *Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, I. Joan. 1. Proponant inquam, sibi passionis abundantiam et excessum; quoniam qui una gutta sanguinis redimere nos potuisset, voluit tot tormentis et morte crudelissima.

Tertio, proponant sibi efficaciam penitentiae, quæ si vera sit, nunquam repulsam patitur apud Deum: *Cor enim contritum et humiliatum Deus non despicies*, Ps. L.

Quarto, proponant sibi exempla desperatisimorum peccatorum in gratia receptorum, filii prodigi, latronis in cruce, Pauli, qui repente ex persecutore factus est prædicator, ut omnes

peccatores ejus exemplo converterentur et nemo desperaret de Dei misericordia, quod testatur ipse, I. Tim. 1. *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum: sed ideo misericordiam consecutus sum ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam*.

III. Tentat circa charitatem et pro pane dilectionis offert lapidem odii Dei. Persuadet enim aliquibus imprimis, maxime sagis et magis, fore ipsos beatos si persistent in suis sceleribus: promittit enim illis servaturum se eos incolumes et si supplicio addicantur, inde erepturum; vel si mori eos contigerit, doloris sensum ablaturum; post mortem vero se in amœnissimum paradysum eos traducturum, ubi beatam vitam, qualem ipsi demones agunt, inchoaturi sint, ut ipsæmet sagæ sæpius confessæ sunt.

Deinde, aliorum affectum et amorem ita affigit rebus transitoriis licet paulo post relinquendis, ut inde se expedire et animum ad cælestia desideria Deique amorem attollere non possint, sed terrenis et fluxis rebus pertinacissime adhæreant, eaque tamquam idola venerentur, nec curent denique sive cælum sive infernum. Exemplum recenset card. Bellarm. de arte bene moriendi, l. II. c. XI. de caudico, quem morti propinquum eum inviseret ipse et hortaretur ad negotium animæ procurandum, respondit ille: *Ego, domine, cupivi alloqui te, non pro me, sed pro conjuge mea et filiis meis*. Ego enim propero ad inferos, neque est, quod aliquid pro me agas. Et hæc animo tam tranquillo protulit ac si loqueretur de itinere ad villam vel oppidum. Ita nimirum diabolus animam ejus sibi subjecerat, ut non cuperet nec vellet ab eo divelli, licet serio admoneretur de periculo salutis. Alios ad impatientiam ut ob morbi dolores et diurnitatem, Deum blasphemare et odisse eique obmurmurare incipiant.

Ut occurramus huic tentationi, primo, considerandum, diabolum esse mendacem et patrem mendacii, teste Domino, Joan. IV. Primus enim omnium mentiri cœpit cum dixit Evæ: *Nequaquam moriemini*. Quam vere autem locutus sit, exitus ostendit. Unde quidam pater exclamat: *O nequam ubi est illud tuum nequaquam?*

Secundo, diabolus jam judicatus est et igni æterno addictus, Matth. XXV. *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Quales ergo opes aut delicias in regno ejus expectes?

Tertio, experientia constat, nihil adhuc eorum præstitum esse a diabolo, quæ sagis pollicetur. Quos enim dedit thesauros? Quos eripuit ab ignibus aut carceribus aut trēmibus, qui a

legitima potestate ad hæc condemnati fuerint? Fuit quidem Eon hæreticus, insignis etiam magus: *Qui oculos hominum ita fascinabat ut videretur magnam vivorum turbam penes se habere, et regniis deliciis ciborum et apparatus splendidissimi abundare.* ut scribit Guil. Neubrigensis, l. 1. hist. Angl. c. X. Sed hunc tandem a consilio Rhemensi damnatum, cum ad mortem duceretur, sæpius ad terram dixisse: *Terra findere, terra findere*, irrito tamen conatu, legimus apud Robertum, in chron. sic dæmon ludit præstigiatores, servos suos.

Quarto, denique quæ est ita dementia, amare temporalia jamjam eripienda, nec de Deo iudice, ad quem eundem est, cogitare? Annon merito audiet talis illud: *Stulte, hac nocte repetent a te animam tuam, et quæ parasti, cujus erunt?* Et illud Augustini: *Temporalia perdere timuerunt, et regnum colorum perdere non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt?*

Qui vero doloribus premuntur, dicant illud: *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*

Denique, commune remedium pro supradictis tentationibus est oratio vel ægotantis vel adstantium. Quantum enim hæc possit, ostendit S. Greg. l. IV. dial. c. XXXVII. et hom. XXXVIII. in evang. « Ante biennium, inquit, frater quidam in monasterium meum, quod juxta beatorum martyrum Joannis et Pauli ecclesiam situm est, gratia conversationis venit, qui diu regulariter protractus, quandoque susceptus est. Quem frater suus ad monasterium non conservationis studio, sed carnali amore secutus est. Is autem qui ad conversationem venerat valde fratribus placebat. Et contra frater illius longe a vita ejus et moribus discrepabat. Vivebat tamen in monasterio necessitate potius quam voluntate. Et cum in cunctis actibus perversus existeret, pro fratre suo ab omnibus æquanimiter tolerabatur. Erat enim levis eloquio, pravus actione, cultus vestibus, moribus incultus, ferre vero non poterat si quis illi de sancti habitus conversatione loqueretur. Facta autem fuerat vita illius cunctis fratribus visu gravis, sed tamen, ut dictum est, pro fratris sui gratia erat cunctis tolerabilis. Aspernabatur valde, si quis sibi aliquid de pravitate suæ correctione loqueretur. Bona non solum facere, sed etiam audire non poterat. Nunquam se ad sanctæ conversationis habitum venire, jurando, irascendo, deridendo testabatur. In hac autem pestilentia, quæ nuper hejus urbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine, est perductus ad mortem. Cumque extrema diem ageret, convenerunt fratres, ut egressum illius orande protegerent. Jam corpus ad extrema fuerat

parte præmortuum, in solo tentummodo pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tanto pro eo cœperunt enixius orare, quanto eum jam videbant sub celeritate discedere. Tum repente cœpit eisdem fratribus adstantibus adnisi quo poterat clamare, et orationes eorum interrumpere, dicens: *Recedite, recedite: ecce draconi ad devorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam devorare me non potest. Caput meum jam in suo ore absorbit: date locum ut me amplius non eruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad devorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris, frater? Signum tibi s. crucis imprime. Respondebat ille ut poterat, dicens: Volo me signare: sed non possum, qui a dracone premor. Cumque hoc fratres audirent, prostrati in terra cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subito cœpit melioratus æger quibus valebat vocibus exultare, dicens: Gratias Deo, ecce draco qui me ad devorandum accederat, fugit: orationibus vestris expulsus est, et stare non potuit. Pro peccatis meis modo intercedite, quia converti paratus sum, et sæcularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui, sicut jam dictum est, ab extrema corporis parte præmortuus, reversus ad vitam, toto ad Deum corde conservatus est, longis et continuis in conversatione eadem flagellis eruditus, atque ante paucos dies exescente corporis molestia defunctus est. Qui jam moriens draconem non vidit, quia illum per cordis immutationem vicit. »*

#### CONCIO VII.

QUOMODO HÆRETICORUM MINISTRI PORRIGANT PLEBI LAPIDEM PRO PANE, SERPENTEM PRO PISCE, SCORPIONEM PRO OVO.

I. Porrigunt lapidem pro pane in communionem. — II. Pro pisce serpentem in confessione. — III. Pro ovo scorpionem in verbi divini et S. Scripturæ depravatione.

#### THEMA.

*Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi, etc?* Luc. XI.

Quæro ex vobis, auditores: Quid diceretis de tali patre qui filio petenti panem, piscem, ovum: pro pane daret lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo scorpionem? Ego sane mihi persuadeo vos omnes esse dicturos: Hic nequam pater, sed latro est, carnifex est, imo ipsemet scorpio est, qui devorat proprios fructus, serpens est et lapis. Equidem et hoc dicturum fuisse Christum puto, si mentem suam explicare

voluisset. Ita enim hanc rem proposuit in hodierno evangelio, quasi ea fieri non posset, nec tam crudelis pater uspiam reperiri. Atque utinam non reperirentur, vel saltem non tam multi! Sed quid cogor dicere? Plurimi sunt tales patres, qui tamen a filiis suis interim amantur, coluntur, defenduntur: suntque ministri verbi Lutherani et Calviniani, qui suis gregibus pro pane dant lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo scorpionem. Quid ergo facturos et dicturos putaris ipsorum parochianos, si hanc rem intelligerent? Sed videbor illis calumniari, nisi ista ostendam: idcirco hoc nunc faciam.

I. Porrigunt eis lapidem pro pane in communionem, quia pro vero corpore et sanguine Christi dant eis merum naturalem panem ac merum naturale vinum. Annon hæc crudelis est deceptio? Christus enim dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Itaque hi ministri vitam adimunt miseris, dum pro carne et sanguine Christi panem tantum et vinum eis præbent: ad instar immanis illius belluæ et acerbis irrisoris Heliogabali imp. qui senatui Romano invitato, pictos solum et fictos apposuisse cibos scribitur. Ita omnino ipsi, dum enim corpus Christi promittunt, nihil aliud dant aut dare possunt, quam quod pistores et caupones, panem scilicet et vinum. Sed probandum est quod dicimus. Sacramentum eucharistiæ confici non potest nisi a sacerdote: Lutheranorum et Calvinianorum ministri non sunt sacerdotes, ergo, etc. Major patet ex sacerdotio Christi, qui fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, praxi totius Ecclesiæ; ubi enim unquam pro vero Christi corpore habitum est, quod non conficeretur a sacerdote? Ubi etiam offerre alicui, qui sacerdos non esset, licuit? Certe pervenit olim ad S. Concilium Nicænum, quod in quibusdam civitatibus diaconi sacramenta porrigerent tantum sacerdotibus. Ad quod Concilium: *Hoc neque regula neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi, porrigant,* ex Conc. Nicæno. S. Hieronymus, advers. Lucifer. cap. VIII. de apostata diacono scribit: *Neque eucharistiam conficere potest, episcopos ac presbyteros non habens.*

Minor probatur. Primo, si enim ministri illi sunt sacerdotes, vel sunt ex ordinatione, vel ex baptismo per institutionem Christi. Nom primum; ubi enim non præcedit manuum impositio facta per episcopos, ibi non est ordinatio et sacerdotium. Constat enim in Ecclesiis sacerdotes non nisi per impositionem manuum episcopaliū factos esse. Sic Act. XIII. Paulo et Barnabæ impositæ manus: similiter Timotheo et Tito a

Paulo. Neque dicere possunt hæretici, eandem esse episcopi et sacerdotis potestatem, quia contradicit tota antiquitas: et cum aliquando Aerius id assereret, mox ab Epiphano et Augustino confutatus et damnatus est. Nonne in veteri lege summus pontifex a sacerdotibus, in nova apostoli a septuaginta duo discipulis differebant? Non potuerunt ergo ministri hæreticorum ordines accipere a Luthero, Oecolampadio, Bucero, Zwinglio et similibus, qui sacerdotes quidem fuerunt, non tamen episcopi, adeoque nec ordinare alios potuerunt. Unde mera vanitas et illusio fuit illa Lutheri ordinatio, qua anno 1540. Witembergæ, M. Schuchmannum ordinavit, dicendo: *Sicut misit nos Deus, ita mittimus te.* Crediderim tunc conscientiam illi dixisse: Tu vero missus a Deo non es, ergo nec is quem mittis. Sane Lutherus, non accepit ab episcopo in sua ordinatione potestatem ordinandi alios, uti nec alii sacerdotes; sed tantum sacerdotalia munia obeundi. Quomodo ergo dare potuit aliis, quod ipse non accepit? Unde dum jam unus prædicans alium ordinat, perinde agunt ac si rustici se mutuo equites crearent et barones: ut enim hæc creatio vanissima est et ludicra, sic eorum ordinatio.

Multo minus dici potest secundum, quod tamen asserit Lutherus, Christum scilicet omnibus Christianis dedisse hanc potestatem in ultima cœna qua omnibus ibi præsentibus dixisse ait: *Hoc facite, etc.* in ep. ad senat. Pragensem, quin in l. de missa privata et ordin. concedit munus consecrandi et sacramenta administrandi etiam diabolo, et ejus matri, sic hoc munus obire vellet. Sed quis non abhorret ab hac blasphemia? Ecclesia certe semper tenuit, nec angelis nec ipsi Deiparæ hoc munus competere aut concessum esse: quod Lutherus etiam concedit diabolo et omnibus lacis. Deinde falsum est, quod ait; solis enim discipulis tunc præsentibus dixit Christus: *Hoc facite, etc.* Vel cum nihil credendum asserant Lutherani, nisi quod scriptum est, ostendant hoc ipsum dictum esse omnibus Christianis, etiam absentibus. Secundo, si hoc dictum esset et mandatum omnibus, tenerentur omnes consecrare et distribuere; id autem non solum esset absurdissimum, sed etiam contra consuetudinem omnium tuum catholicorum tum hæreticorum. Et superintendentes vel magistratus Lutherani, qui hoc non concederent omnibus etiam plebeis, contra venient juri divino, quod omnibus hoc concessit, ut dicunt.

Tertio, proferatur aliquod exemplum, quo probetur in aliquo casu aliquem non ordinatum consecrasse eucharistiam: qualia autem habemus de baptismo. Certe neque diaconi hoc possunt.